Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3041
Quelle:
Copyright:

carnationis tue in ligno crucis mori uoluisti ut per tuam mortem humanum genus a perpetua morte liberares. presta per inuocationem nominis tui ut hęc aqua atactu ipsius ✠ *sanctę crucis sanctificata. famulo tuo N. quem ardens febris grauiter excruciat. proficiat ad corporis animeque salutem. quod ipse prestare digneris qui* &c. Altera: *Domine ihesu christe qui pro nostra redemptione per passionem tuam* ✠ *hoc lignum sancte crucis sanctificare uoluisti. concede propitius ut quicumque hanc aquam eiusdem san-* ✠ *cte crucis tactu sanctificatam haustu perceperunt. ab omni infirmitate mentis et corporis absoluantur. qui cum* &c. Integras adjeci, cum neque apud *Gretserum de Cruce*, neque in *Martenii antiq. Eccl. Ritib.* neque in *Gerberti Monum.* quidquam de hac Benedictione repererim. *Benedictio in Festiuitate Sanctae Mariae. Murat. col.* 373. *Gerb.* p. 339. *Benedictiones Palmarum.* I. *Deus omnipotens qui pro salute* &c. II. *Omnipotens sempiterne deus. qui in diluuii* &c. III. *Omnipotens aeterne deus mundi creator* &c. IV. *Deus qui filium tuum ihesum christum* &c. Est Praefatio *Gerb.* p. 64. paullum mutata. V. *Omnipotens sempiterne deus, qui de cœlis* &c. VI. *Deus, qui dispersa congregas* &c. VII. *Adhuc petimus domine Sancte pater* &c. Has omnes Benedictiones ab Autoribus *citt.* abesse deprehendi. *Benedictio Ferri iudicialis.* Paullo brevior illa, quam *Martenius* produxit *Antiquor. Eccl. Rit.* L. III. c. 7. p. 491. hujusque tenoris: *Benedic domine per inuocationem sanctissimi nominis tui. ad manifestandum iudicium tuum hoc genus metalli. ut omni demonum falsitate procul remota. ueritas ueri iudicii tui. fidelibus tuis manifesta fiat. per dominum. Benedictio dei patris. et filii. et spiritus sancti. descendat super hoc ferrum ad discernendum iudicium dei. Amen.*

IX. *fol. ult.* Adnexae sunt *Missae* duae. Prima quidem *in uigilia Epiphaniae* una cum indicatione *Epistolae* et *Evangelii.* Haec habetur apud *Gerbert.* p. 15. Oratio tamen post Comm. *Caelesti lumine* &c. apud illum ipsa die *Epiphaniae* in *Missa Ambros.* occurrit. Altera *in Dedicatione Ecclesiae* est itidem apud *Gerb.* p. 226. sed nobis in *Benedictione* deficit, quae integra est apud *eund.* p. 341.

DCCCXXXII.

Codex membraneus lat. Sec. XVI. ineuntis Folior. 252. f. max. continet sacras precationes inter Missarum solennia decantari solitas, videlicet *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus*, *Agnus Dei*, modulis musicis pluries a pluribus Musurgis inclusas, et in *quinque* linearum systemate eleganter exaratas. Musurgorum haec fere sunt nomina: *Jac. Barbirianus*, *de Orto*, *Alex. Agricola*, *Jaspar*, *Josquin*, *Verbonnet*, *Bruinel*, *Yzaac*, *Lom-* 34